



**A**nacharsis Scytha filius fuit Gnuri, qui genus suum à Germanis trahebat. Erat autē is auitis uirtutibus præditus, atq; in primis sapientiæ, iustitiae, atq; modestiæ operam dedit. ut autem commodius id assequeretur, in Græciam peregrinatus est, eo nimirum tempore cum Solon Athenienses legibus institueret, atq; Daniel propheta apud Iudæos celebris esset, anno mundi 3360. Itaq; Anacharsis adeo in literarū cognitiōe progressus est, ut sua prudentia, animi moderatione, & equitate meruerit inter septem Græciæ sapientes annumerari. Erat autem in dicendo constans, et natura audax, ita ut Scythicum ingenium in eo facile dignosceretur. Ad Croesum ex Græcia scripsit, se neque auro, neque alijs rebus indigere, uerū saltem cupere, ut melior & doctior domum ad Scythas redire possit. Dicebat frequenter uitem tres uvas ferre: primam uoluptatis, secundam ebrietatis, & tertiam mœroris. Rogatus aliquando quo pacto quis abstemius fieret, respondit: Si turpes ebriosorum mores sibi ante oculos ponat. Cum autē domū rediisset, atq; ingenio omnes alios superaret, cogitare cœpit, quā nam ratione generi humano inferuire posset. Itaq; folles, anchoram, & rotam figurarem primus inuenit, & eorum usum hominibus ostendit. Statuerat etiam patrias leges immutare, atq; in commodiorem ordinem redigere: id cum frater eius intellexisset, eum in uenatione sagitta petiit, & letale uulnus inflixit. Moriens dixisse fertur, se sermonis & philosophiæ gratia in Græciam profectum ab exteris seruatum, at in patriam reuersus per inuidiam occisum esse. Ziegel.